Funus
VIRI
Nobilissimi, Amplissimi, atque Consultissimi,
DOMINI
DANIELIS ESKEN,
Consulis Regiæ Civitatis Thorunensis gravissimi,
Meritissimi,
Anno MDCCXIV. D. XXIV. *Augusti*
In Æde B. Virginis
Solenni pompa factum
Ea qua par erat observantia
Concomitari voluit, debuit
Jacobus Fridericus Baumgart/ *Thor.* L. L. *A. A.* St.

ESKIUS Astrigerum Jovam visurus olympum
Transit, & electis associatus ovat.
Vixit, quem dederant cursum sua fata, peregit,
Anchoraque æterno stat sua firma loco.
Vita nisi hæc mœror nihil est humana, laborq;
Nil nisi tristities, nil nisi cura gravis.
Felix qui vitam vixit sine labe perennem!
Is moriens etiam vivit in arce poli.
Illius ast obitus tamen est plorandus amicis,
Queis vultu grato non licet usque frui.
Consulis ah! lacrymis hujus prudentia digna est,
Digna oculis madidis ingemuisse genis.
Hujus prima fuit communis cura salutis,
Nec rebus patriæ prætulit ille suas.
Attribuit cunctis sua; nil à jure remisit,
Ac præferre decens utilibus voluit.
Candidus & rectæ mentis fuit, infima non laus
Est: dum semper constans in pietate fuit
Hunc viduata dolet conjux, dolet undique civis,
Quod vir, quod Consul nunc cadit ante diem.
Sed quæso lacrymis parcas o mœsta Marita
Pallida nil lacrymis ora rigasse juvat.
Nil prosunt gemitus nil prosunt signa doloris,
Cum sint in manibus vitaque morsque Dei.
Dat vitam hic, vitam rapit hic, hic reddet eandem,
Cum dabit extremos buccina sera sonos.
Gratulor hinc toto defuncto corde salutem
Et precor *agnatis* omnia salva suis.

THORUNII, Impressit Joannes Nicolai.